



Prot. N. 01961/2023-754/23/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Conrado Lorefice, Archiepiscopo Metropolita Panormitano et Primate Siciliae, occasione sollemnum in honorem Sanctae Patronae Rosaliae celebrationum quae, a die X Iulii MMXXIII usque ad diem IV Septembris MMXXIV in tota Archidioecesi peragentur, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Panormitanam Cathedralis ecclesiam vel Sanctuarium de Monte Peregrino in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus celebrationibus devote interfuerint, vel saltem coram Sanctae Rosaliae exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis atque Sanctae Rosaliae.*

*Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si coram aliqua Sanctae Rosaliae imagine iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut dioecesanus paenitentarius, cathedralis clerus, parochi et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.*

*Praesenti per Sanctae Rosaliae Iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die VI mensis Iulii, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.*

*Maurice Card. Diaceo  
Paenitentiarum Praeior*

*Christophorus Nyfci*